ORATIO
DOMINICA:
SYMBOLVM APOSTOlorum: Mandata Catalogi: Sacramenta Ecclesiæ, cum nonnullis aliis, carmine reddita:

PER

Mameranum Poetam Laureatum.

LONDINI
Thomas Marshęus excudebat.
1557.

MAMERANVS AD Lectorem.

De recta fide & vita Christiana.

AD vitam non sola fides, sed facta beatam
Perducunt, fidei si sint coniuncta fideli:
Propositumq; pium, atq; humilis confessio culpę:
Veraq; de puro manans contritio corde:
Labitur & quoties, toties si a labe resurgit,
Pœniteatq; cito commissi criminis ipsum.
Et rogat, ignoscat, feruenti pectore, culpam
Ipse Deus: quantum poterit, se crimine ab omni
Semper & abstineat, roget ac Deus adiuuet ipsum,
Contra hostes, mundum, Satanam, carnemq; petulcã.

NOBILI ET EXIMIO TVM ERVditione, tum virtutum ornamentis iuueni Dn. Iohanni Burchio, clarissimi viri Dn. Adriani Burchij Equitis aurati: Philippi Hispan. & Angliæ Regis rerum Belgicarum Status Cõsiliarij ac Præsidis Flandriæ, Filio: Mameranus S.



Ertur ab antiquo iactata paremia vulgo,
Nec temere fallit: Patrẽ sequitur sua proles.
Nã tuus ille parens, vir clar9 Regis in aula
Atq; Eques auratus, tum Cõsiliarius idem
Regi9 et Præses statuũ, quos Flãdria Regi,
Consilio spectata tenet, diuesq; ministrat:
Artibus ingenuis cum se puerilibus annis
Imbuerit statim; niueos quibus atq; decentes
Coniunxit mores, rigida virtute magistra:
Et studiosorum sit magnus vbiq; Patronus,
Promotorq; pius semper, fautorq; benignus:
Te quoq; mox idem & rapuit puerilibus annis
Ad studium simile ac mores, occultior ardor,
Pectoris æthereis incendens intima flammis:
Vt iuuenis vix dum bis denos tempore vitæ
Excedens annos, æquales viceris omnes
Ipse tuis studijs, longe & post terga relinquens,
Protinus in mediam processeris vsq; palestram,
Artibus excultus claris, quibus inclyta morum,
Virtutumq; insignia & ornamenta bonorum
Iunxisti, æternos mox hinc laturus honores,

Ergo memor patrij moris, mi chare Iohannes,
Suscipe quos hodie pro lusu & tempore versus
Fecimus, emersit roseo cum aurora cubili,
Per prata ad Thamesis ripam, per ruris amoeni
Arua, per vmbrosos spaciantes vndiq; lucos:
Scilicet in numeros Domini nonnulla ligantes
Verba, ac Ecclesiæ pregnantia dogmata sanctæ,
Articulos fidei vt, mandata, modumq; precandi,
Atq; alia, hic tibi quæ ostendet, nonnulla libellus.

ORATIO DOMINICA.

1 QVI Pater in cælis es noſter, ſanctificetur
2 Nomen vbiq; tuum: Adueniat poſſeſſio regni
3 Illa tui: Fiat ſemper tua ſancta voluntas,
In cælo ſicut, ſic in tota vndiq; terra.
4 Panem hodie noſtrum da nobis quotidianum.
5 Dimitte & nobis ſic omnia debita noſtra,
Vt nos debenti dimittimus omnia nobis.
6 Et nos ne inducas, grauis vt tentatio vincat.
7 Sed Pater alme malo nos ſemper libera ab omni.

Eadem breuius.

1 QVI Pater in cælis es noſter, ſanctificetur
2 Nomen vbiq; tuum; veniant tua regna: volũtas:
3 Fiat vt in cælo tua ſemper, & in quoq; terra:
4 Panem hodie noſtrum da nobis quotidianum,
5 Dimitte offenſas nobis, dimittimus vt nos
6 His qui nos lædunt: Neq; nos tentatio vincat,
7 A Satana atq; malis ſed libera ab omnibus. Amen.

Eadem adhuc breuius per quendam aliũm.

1 SVmme tuum nomen, Pater oro, ſanctificetur.
2.3 Adueniatq; tuum regnum; fiatq; voluntas
4 In cælo & terra: Panem da quotidianum,
5 Exemplo noſtro, dimittas debita noſtra,
6.7 Nec ſine tentari: ſed prauo libera ab omni.

Salutatio Angelica.

VIrgo inſignis aue, diuino plena fauore
O Maria; eſt Dominus tecũ; benedicta tu es inter
Fæmineas turbas: fructus benedictus & ipſe

Illc tui ventris, Christus saluator Iesus.

Symbolum Apostolorum continens
12. Articulos fidei.

1 CRedo in verũ, vnumq; deũ patrẽ omnipotentẽ,
Factorẽ cæli & terræ & quæ his cũcta tenẽtur.
2 Vnicũ et in natũ ipsius, qui est Christus Iesus,
Saluator noster, dominus, solusq; redemptor.
3 Quẽ virgo peperit conceptum ex Pneumate sancto.
4 Et qui Pylato est sub iniquo iudice passus
Atq; crucifixus: qui mortuus atq; sepultus.
5 Et qui defunctus descendit ad infera regna:
Atq; resurrexit, fulsit cum tertius orbi
6 Sol a defunctis. Cælorum ascendit in arces:
Ad dextramq; dei Patris sedet omnipotentis.
7 Indeq; venturus, quo viuos atq; sepultos
8 Iudicet. In sanctum quoq; credo Spiritum & almum.
9 Catholicam Ecclesiam credo vnã existere sanctam,
Vnaq; sanctorum quod sit communio sancta.
10 Et quod sit cunctæ perfecta remissio culpæ.
11 Quodq; reuictura ad vitam est caro nostra perennem,
Cum postrema dies illuxerit illa, resurgens.
12 Et credo æternam sic, post hæc sæcula, vitam.

Decem præcepta Domini
per alium.

1. 2 VNum crede Deum; nec iures vana per ipsum;
3. 4 Sabbatha sanctifices; habeas in honore parẽtes;
5. 6. 7. 8 Non sis occisor: fur: mœchus; testis iniquus:
9. 10 Alterius nuptam; rem nec cupias alienam.
Intrare ad vitam, si vis, mandata teneto.

❧ Sacramenta Ecclesiæ, 7.

ORdo, Coniugium, Fons, Confirmatio, Panis,
Vnctio postrema, & Cõfessio, sunt Sacramēta.
1 Babtismꝰ renouat te & ab omni crimine mūdat.
2 Inqꝫ fide stabilit te Confirmatio sancta.
3 Fœda sacerdoti Confessio crimina pandit.
4 Cælestiqꝫ cibo sacra Eucharistia pascit.
5 Coniugium effrenes carnis terit vndiqꝫ motus.
6 Teqꝫ sacerdotem Christi sacer Ordo creabit.
7 Munit ad æternam, cum migras, Vnctio vitam.

❧ Peccata mortifera. 7.

FAstus, Auaritia, & Venꝰ, Ira, Gula, atqꝫ refrendens
Inuidia, & neruis soluens Ignauia corpus.
1 S Nunqꝫ te minimum rabiosa superbia vexet.
2 A Nec tu, si sapias, sis vllo tempore auarus.
3 L Nec te vrat vetitæ, turpisqꝫ libidinis ardor.
4 I Nunqꝫ te frangat vehementior impetus iræ.
5 G Neue gulæ studiumqꝫ vorax tua viscera tendat
6 I Inuidia vllius maceret te tabida nunqꝫ
7 A Neue supina & iners vnqꝫ te ignauia soluat.

❧ Gloria Patri. &c.

TRino, vniqꝫ Deo æterno sit Gloria Patri:
Vnico & æterno simul eius Gloria Nato:
Spiritui pariter semper sit Gloria sancto:
Vt fuerat semper, sic nunc & semper in euum.

❧ Idem breuius.

GLoria sit Patri, pariter Nato vnico & eius:
Prodit ab vtroqꝫ & sit Spiritui quoqꝫ sancto:
Sicut erat semper, sic nunc & semper in æuum.

Idem adhuc breuius.

Gloria sit Patri: Natoque: Spirituique
Sancto, vt ab aeterno, sic nunc & in omnia saecla.

Idem per Ambrosium.

Iamb. dimetr.

Deo Patri sit gloria,
Eiusque soli Filio
Cum Spiritu paraclito
Et nunc & in perpetuum.

Idem per eundem.

Laus, honor, virtus, gloria
Deo Patri cum Filio
Sancto simul Paraclito
In sempiterna saecula.

Prauae cogitationis & concupiscentiae initium suffocandum, mentemque alio vertendum.

CAlca serpentis caput insani atque maligni:
Calca principium, quae mens, absurda reuoluit,
Cogitat atque cupit: statimque haec semina petrae
Paruula collidas, ne paulatim intus in herbas
Luxurient laetas, dum molliter illa fouentur,
Dumque iaces lentus miles nimis atque supinus.
Excute de tepida, modo quae inflammescere coepit,
Talia mente cito: contraque insurge seuerus
Arbiter, & Christi mortem meditare cruentam:
Cum quo nemo potest hominũ vnque viuere, quisquis
Talia cogitat atque facit, mollisque quiescit.

Oratio ad Deum, pro secundo vento in classem Hispanicam.

OMnipotens aeterne Deus, qui cuncta creasti,
Caelũ, tellurem, infernum, pontumque profũdum,
Quicquid & his vsque tectum, clausumque tenetur.

Qui regis & vegetas; qui pascis quicquid in orbe est:
Quicq; iubes semper nos a te dante petamus.
Non etenim fallis, nec fit promissio inanis.
Namq; tuum semper manet immutabile verbum,
Firmaq; in æternum tua stat promissio semper,
Ergo tui populi nunc respice vota precantis,
Quodq; rogare facis, simul & fac impetret ipsum,
Funde Nothũ in classem, Zephyrũq;, Austrũq; furẽtẽ,
Classis ab occiduis ventosa per æquora Iberis
Propediem nobis, ventis impulsa secundis,
Adueniat, multis nunc expectata diebus,
Classis militiæ neruos quæ & robora prestet
Quæq; armata viris veniat, Plutoq; profundo,
Hac sine nam nihil est, surgat quod miles in arma,
Hac sine non hostis poterit tuus ille proteruus
Communis pacis turbator publicus omnis
Totius mundi, Turcæq; ex fœdere frater
Perfidus impuri, prostrato nomine Christi
Atq; suo titulo, quo Christianissimus esset,
Exscindi Gallus: nec pax antiqua reduci
Illa tua in totum, quem turbat milite, mundum.
Hunc turbatorem pacis, Pater optime, tantum,
Qui non agnoscit tua q; benedictio multa
Et bonitas nimia in sese collata redundet,
Da facile exscindi, quo pax æterna paretur
Armata per bella manu, virtute superna
Desuper infusa, quo æterna pace fruamur.
Hæc ille est panis noster namquotidianus,
Publica pax orbis, cunctis quem Gallus vbiq;
Et pater & natus, ter denis amplius annis

Continuis, sæuis bellorum fluctibus aufert,
Eripit & vastat, populatur, proterit, occat.

Gratiarum actio pro felici classis Hispanicæ aduentu.

Alme Deus grates magnas tibi reddimus omnes
Nostra quod audisti clementer vota, precesq;
Nec tantum classem pro votis miseris vnam,
Sed binam, aduersis ferme spirantibus auris,
Atq; fere simul vno & eodem tempore vtramq;:
Alteram ab Hispanis cum Pluto & milite terris.
Alteram ab Eois oneratam frugibus Euris:
Vt cælum & venti & tellus & pontus & aer,
Cuncta simul nobis videantur vbiq; fauere,
Arma, viros, Cererem ex variis mittentia terris,
Extimulent animos, quo magna in prælia nostros.
Contra excisorem, turbatoremq; furentem
Communis pacis, boni, & omnis vbiq; salutis,
Quo mox exciso, redeat pax publica mundo,
Nostraq; tranquilla degamus tempora vita.

De imaginibus.

Hoc Deus est, quod imago docet; sed nō deus ipsa.
Hāc videas, sed mente colas, quod cernis in illa.
Sic & sanctorum, sanctos memorabit, imago,
Vt contemplando, vitam atq; exempla sequaris.

In pictores.

Actū. 9. & 22. Mentitur pictor, Paulum qui pingit equestrem,
Cum clare constet, quod fuit ille pedes.
Actū. 7. Quiq; senem pingit, iuuenis cum cōstet aperte
Quod fuerit, sicut dogmata sacra docent.
Sic quoq; discipulos, pedibus qui pingere nudis

Christi audent, se etiam pingere falsa sciant.
Vos, inquit, quando liqui sine calceamentis?
Respondent. Nunquam: defuit atque nihil.
Sic ipsum Dominum quoque constat calceamentis
Vsum, & non nudis quod fuerit pedibus.

In errorem vuulgi, existimantis in ingressib. locum parieti proximum esse honoratiorem: cum semper & vbique solus dextrae sit honoratior, & nequaquam parieti vicinior. Libera enim illa manus cum non est, honor non est. Nam sic fit serua libertas.

AD dextram semper locus ipse honoratior extat:
Nō loc⁹ ad murū qui vergit, vulgus vt errat.
Esse manus semper nam dextera libera debet
Quacunque incedis, vel stabis, siue sedebis:
Sic tu cuique suum recte pręstabis honorem:
Nec te corripiet stupida ignorantia & error.